

uxore adultera amitti. Resp. enim ibi per dotalitium intelligi non posse bona paraphernalia, sed vel donationem propter nuptias, vel alia bona ex pactis dotalibus alias uxori debita, aut alia a viro uxori donata, ut loc. cit. etiam observat Glossa.

104. *Quid præter dotem perdat de jure Bavarie?* — Et hinc jura Bavarica tit. I, a. 6, statuunt, quod uxor adultera præter dotem perdat etiam morgengebam, dimidium lucri alias debiti, et reliqua a viro eidem donata.

105. *Dotem nondum traditam uxor adulterans tradere ante sententiam judicis non tenetur.* — Resp. III. Licet dotem marito nondum traditam uxor ob adulterium ante judicis sententiam tradere non teneatur, sed tuta conscientia retinere valeat, donec per sententiam compellatur, tamen potest vir eam sibi prius jam traditam, nulla adhuc facta sententia retinere, et contra uxorem exceptione adulterii uti. Primam partem conclusionis docet Sanchez, loc. cit. n. 13; Ancharanus, in c. Porro. de Divortio, in fine, et ibi Joan. Andreas, n. 3; Pirhing, h. t. n. 39, cum communi. Ratio est, quia est poena executionem externam requirens, ad quam ante sententiam judicis in conscientia nemo obligatur: prout fusius diximus lib. I, tit. II, § 10.

106. *Actu autem jam traditam vir etiam ante sententiam retinere valet.* — Alteram partem merito docet Abbas, in c. Plerumque, 4, h. t. n. 4; Sylvester, §. Adulterium, q. 6, et alii, arg. cit. c. 4, h. t. ubi statuitur, quod mulier adultera sponte discedens (aut in casu notorio merito expulsa, juxta dicta tit. præced.) non possit amplius repetere dotem, utique jam traditam. Ratio est, quia ubi dos jam est tradita, poena executionem externam non amplius requirit, sed potius privationem et amissionem, seu abstinentiam et carentiam; consequenter cessat fundamentum, ob quod ante sententiam judicis ad poenam non tenetur.

107. *Uxor adulterans dote, et aliis jam privata, cuncta iterum acquirit, si eidem vir reconcilietur.* — Resp. IV. Uxor, quæ per judicis sententiam a viro ob adulterium fuit separata, et dote, aliisque privata, acquirit iterum cuncta, si postea vir eidem iterum reconcilietur et cohabitent, nisi adjiciatur reconciliatio pactum, aut conditio de dote, et aliis non restituendis: Sanchez, lib. X, disp. 8, n. 21; Farinacius, in prax. crimin. p. V, q. 142, n. 68; Engel, h. t. n. 15; Syl-

vester, §. Adulterium, q. 6, et alii, arg. c. 4, h. t. a sensu contrario: ibi: «Nec reconciliatio postea sit.» Non enim distinguit, an reconciliatio ante vel post sententiam fiat. Ratio est, quia, cum reconciliatio hæc sit favorabilis tollens poenam, late etiam est interpretanda, arg. c. Odi. de Reg. jur. in 6, consequenter intelligenda, quod ponat nocentem in totum pristinum statum.

108. *Nisi speciale pactum aut conditio obstat.* — Nisi adjiciatur reconciliatio pactum, aut conditio de dote, et aliis non amplius restituendis, prout notanter dicitur in conclusione: hoc enim si fiat, prout fieri potest, adultera per reconciliatioem utique nihil acquirit, ut bene observat Sanchez, loc. cit. n. 22. Nec obstat l. Transigere. 18, c. de Transact. ubi prohibitum est, super adulterio transigere. Resp. enim, ibi tantum prohiberi, ne uxor transigens promittat viro aliquid, quod ad eum alias non pertinet; cujusmodi non est dos post sententiam jam latam, utpote viro pleno jure alias jam competens.

109. *Uxor ratione dotis habet tacitam hypothecam in omnibus bonis mariti, præceditque omnes illius creditores ante viros.* — Quæritur V. Qualia privilegia, et honores habeat uxor ratione dotis, et aliorum? Resp. I. Uxor ratione dotis habet tacitam, eamque valde privilegiatam hypothecam in omnibus bonis mariti, ita ut præferatur omnibus aliis creditoribus. Unanimis et certa, textu expresso l. In rebus. 30, c. de Jure dotium. ibi: «In rebus dotalibus sive mobilibus, sive immobilibus, sive se moventibus (si tamen extent) sive aestimatae, sive inæstimatae sint, mulierem in his vindicandis, omnem habere post dissolutum matrimonium prærogativam, jubemus, et neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiorum causam in his per hypothecam vindicare, » et l. Assiduis, 12, § 1, c. Qui potiores pign. ibi: «Sancimus ex stipulato actionem, quam mulieribus jam pro instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere creditores, licet anterioris sint temporis, privilegio vallati, etc. licet res dotalis, vel ex his aliæ comparatae non extent, sed quocunque modo vel dispositæ, vel consumptæ sint.»

110. *Etiam anteriorem hypothecam expressam habentes.* — Resp. II. Quamvis lib. III, tit. XXIII, de Solutionibus, in. 86 cum Gallo

tanquam probabile docuerimus, creditores anteriorem expressam hypothecam habentes præferri uxori, tamen æque probabile, imo probabilius reputamus, quod uxor pro dote sua recuperanda vi tacitæ suæ hypothecæ præferatur omnibus anterioribus creditoribus mariti etiam expressam hypothecam habentibus. Fachin., lib. X, Controv. controv., 36; Mynsing, cent. 4, observ. 13; Haunoldus, tract. IV, cap. v, controv. 10, n. 440 et alii contra Gailum, lib. II, observ. 25, n. 10; Covarruviam, p. I, cap. IX, n. 1 et seqq. Jasonem, Zesium, et alios. Probatur conclusio ex legibus num. præced. allegatis: hæ enim, dum universaliter dicunt uxorem præferri omnibus creditoribus, anteriorem hypothecam habentibus, non distinguendo inter hypothecam tacitam, vel expressam, de qualibet intelligendæ sunt. Tum quia lex universaliter loquens, universaliter est intelligenda, arg. c. 22, de Privileg. et ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, arg. l. De pretio. ff. de Public. in re act. Tum, quia, si legislator voluisset aliorum creditorum hypothecas expressas excipere, id exprimere debuisset, cum facile potuisset, arg. l. un. § 11, §. Sin autem deficientis C. de Caduc. tol. Tum etiam, quia alias leges num. præced. citatæ facile eliderentur, nullumque, vel certe raro haberent effectum, eo quod in paucissimis casibus tacita hypotheca sit concessa.

Objectiones contra conclusionem hanc vide apud patronos ejusdem, quia est mere civilis.

111. *Privilegium uxoris ratione dotis ad hæredes extraneos se non extendit, bene vero ad descendentes.* — Resp. III. Privilegium prælationis uxori pro repetenda dote competens non transit ad hæredes extraneos, bene vero ad descendentes. Prima pars de hæredibus extraneis caret controversia, textu expresso, l. un. C. de Privileg. Dotis, ibi: «Scire debes privilegium dotis, quo mulieres utantur in actione pro dote, ad hæredem non transire;» quod saltem de extraneis hæredibus intelligi debet. Altera pars una cum prima patet ex Novell. 91, in Præfat. ibi: «Non enim aliis dedimus dudum, et damus hoc privilegium, ut hæredibus aut creditoribus, sed solis filiis.»

112. *Quinam creditores mariti præcedant uxorem?* — Limitantur tamen ultimæ hæ conclusiones in sumptibus funerum, et iis, quæ ad hos reducuntur, ut medici, chirurgi,

pharmacopæi in ultima infirmitate, utpote qui omnes uxori præferuntur juxta dicta lib. III, titre XXIII, a. n. 81, ubi vide.

TITULUS XXI.

De secundis nuptiis.

1. *Ratio continuationis. Secundæ nuptiæ quid?* — Solent persæpe primas nuptias secundæ sequi. Hinc postquam de matrimonio primo, et illud concomitantibus huc usque dictum, merito sequitur etiam titulus de Secundis Nuptiis, id est sequentibus primas, seu primum matrimonium. Per secundas nuptias siquidem intelliguntur non tantum illæ, quæ primas immediate sequuntur, sed etiam tertiæ, quartæ, et deinceps, l. Si quis prioris, 8, § 1 et 2, c. h. t.

§ I.

DE VALORE, ET HONESTATE SECUNDARUM NUPTIARUM, ET PRÆVIA NOTITIA DE MORTE CONJUGIS NECESSARIO REQUISITA.

2. *Secundæ nuptiæ licitæ, et validæ sunt.* — Quæritur I. An licitæ, et validæ sint secundæ, tertiæ, quartæ et posteriores nuptiæ? Resp. Affirmative. Ita hodie unanimis et certa. Patetque ex Sacra Scriptura, et utroque jure. Sic enim imprimis 1 ad Corinth., vii, aperte dicitur: «Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantum in Domino, » et 1 ad Timoth., v, vult Apostolus viduas juniores nubere. Dein can. Aperiant. 11, cau. 31, q. 1, dicitur: «Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, ita licere quinto et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere.» Concordant sequentes canones ead. can. et q. supponiturque tot. h. t. Conceduntur etiam a jure civili saltem post annum tot. tit. C. eod.

3. Nec obstat can. Hac ratione. 9, cau. 31, q. 1, ubi Joannes Chrysostomus ait, quod secundam conjugem accipere, secundum veram rationem vere fornicatio est. Resp. enim illum canonem esse exiguæ auctoritatis, nec a S. Chrysostomo, sed ab auctore imperfecti operis provenire. Nam longe cautius loquitur verus Joannes Chrysostomus; ut ibidem bene advertit adnotatio Gregoriana. Vel dic cum Glossa, canonem

hunc loqui juxta sensum antiquæ legis a Christo jam correctæ.

4. *Etiam ante finitum annum luctus.* — Resp. II. Quamprimum legitime constiterit de morte conjugis, etiam ante annum luctus, id est, ante annum a morte prioris conjugis elapsam, licitæ sunt secundæ nuptiæ. Ita hodie rursus unanimis et certa; quia juris civilis dispositio l. I et II, c. h. t., cum concordantiis prohibens sub pœna infamiæ secundas nuptias intra annum luctus, a jure canonico correctæ est c. *Super illa*, 4. h. t., ibi: « Super illa quæstione, qua quæstio est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus secundum consortium definitum? Resp. quod cum Apostolus dicat: Mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit; per licentiam et auctoritatem Apostoli, ejus infamia aboletur. »

5. *De pœnis secundo nubentium. Remissive.* — An autem, et quas penas de jure civili incurrant secundo nubentes, dicitur § seq.

6. *Leges civiles quoad tempus secundarum nuptiarum non amplius attenduntur.* — Cæterum colliges, abrogatas et non amplius attendendas esse leges civiles, certum tempus certumque modum, et circumstantias præscribentes de habenda notitia mortis prioris conjugis, et inde licitis secundis nuptiis, ut l. *Uxore* 6. ff. de *Divortio*, l. *Uxor.*, 7. C. de *Repud.* et Novell. 117, cap. xi.

7. *Ad secundas nuptias licite celebrandas, non sufficit opinio de morte conjugis, aut diuturna ejus absentia, sed requiritur certitudo moralis.* — Quæritur II. Qualis requiratur notitia de morte conjugis ad hoc, ut secundæ nuptiæ licite celebrari valeant? Et ad quem pertineat de hac notitia judicare? Resp. I. Ut secundæ nuptiæ licite contrahantur, non sufficit dubium, aut probabilis opinio de morte conjugis, etiamsi plurimis annis jam absit conjux, sed requiritur et sufficit notitia moraliter saltem certa. Sanchez, lib. II, disp. 46, n. 6 et 7; Bosco, disp. 12, sect. 12, concl. 2, n. 22; Abbas, in c. *In præsentia de Sponsal.*, n. 6 et c. *Quoniam*, n. 12. *Ut lite non contest.*; Layman, lib. V, tr. X, p. III, n. 1 et 2, ubi testatur de communissima; Covarruvias, p. II, cap. VII, § 3, n. 3; Gutierrez, lib. II, pract. quæst., q. 8, n. 4 et seqq. et alii. Probat quod non sufficit dubium, aut opinio probabilis, nec absentia plurium annorum, sed requiratur cer-

titudo ex c. *Is præsent.*, 19, de *Sponsalib.* ubi casus dignus, ut totus referatur, ita proponitur, et solvitur, ibi: « In præsentia nostra quæsisisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros causa captivitatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium prætolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum; licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, et pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes, aliis matrimoniis copulari. Consultationi ergo tuæ taliter respondemus quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. » Ubi specialiter notanda verba: « Certum nuntium recipiant de morte virorum. » Concordat c. II, h. t., ibi: Sane super matrimoniis, quæ quidam ex vobis (non habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt; id vobis respondemus, ut nullus admodum ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus; » ubi rursus notanda verba, donec ei constet, videlicet certo, quia hæc sunt correlativa ad propositam materiam de matrimoniis, in quibus non habebatur obeuntis conjugis certitudo. Ratio est; tum quia ubi certitudo non adest, in contrahendo subintrat periculum nullitatis matrimonii secundi, et imminetis adulterii; in abstinendo vero nullum; consequenter ad evitandum utriusque præsertim peccati periculum, abstinendum est, donec certo constet.

8. *Quæ tamen sufficit.* — Quod autem sufficit certitudo moralis, tenent doctores, num. præced. relati, ar. can. *Cum jam bellicam*, 1, cau. 34, q. 2, ibi: « Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit; » ubi ly non esse existimabatur, plus sane non significat, quam certitudinem moralem, et c. fin. *Porro, ut lite non contestata*, ibi: « Tandiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur; » ubi verosimiliter præsumatur rursus plus non indicat, quam certitudinem moralem. Quod autem hic, et præcedens textus saltem certitudinem moralem significant, et de illa intelligendi sint, desumitur ex juribus num. præced. allegatis, quibus jura citata hoc num. concordata sunt, ut

evitetur jurium correctio, c. *Cum expediat.*, de *Elect.* in 6.

9. *Quæ quando adest, arbitrio judicis relinquatur.* — An autem, quando, et quomodo hæc certitudo moralis de morte conjugis sufficienter habeatur, judicis ecclesiastici prudenti judicio, attentis circumstantiis judicandum relinquatur, ut bene advertit Gutierrez, lib. II, pract. quæst. q. 8, n. 9; Sanchez, lib. II, disp. 46, n. 7; Layman, loc. cit., n. 1; Abbas, in c. *In præsent. de Sponsal.*, n. 6, ubi ait: « In summa, hanc materiam relinquerem arbitrio judicantis, ut diligenter omnibus ponderatis consideret, diliger de morte sit facta certificatio. »

10. *Habetur autem certitudo moralis, quando adest attestatio parochi.* — Resp. II. Dantur tamen plures probationes et modi, ex quibus certitudo moralis de morte conjugis sufficienter habetur. Probat inductione sic enim I, sufficiens certitudo moralis de morte conjugis habetur, si de ea testatur parochus, quia hujus testimonium ex libro baptismi, matrimoniorum, et mortuorum sufficienter probat, juxta dicta lib. II, tit. XXII, n. 127.

11. *Vel alia publica, vel authentica.* — II. Si constet de ea per attestationem, aut instrumentum publicum, vel authenticum a magistratu ecclesiastico, politico, aut militari datum, vel a notario publico, vel alia persona, in publica auctoritate constituta confectum; quia etiam hæc plene probant, juxta dicta, lib. II, tit. XXII, de *Fide Instrumentorum*, et Mascardum, de *Probat. Concl.*, 1101, n. 3.

12. *Aut duo idonei testes de visu.* — III. Si adsunt duo testes de visu; hi siquidem ordinarie plene probant, per dicta lib. II, tit. XX, § 8, n. 23 et seqq. Censentur autem ad præsens testes de visu non solum, qui conjugis mortui interfuerunt, vel illum mortuum videre, sed etiam ejusdem sepulturæ, vel exequiis, septimo, et trigesimo interfuerunt, aut sepulcrum, et consanguineos illius viderunt, simulque audierunt, conjugem esse mortuum, sepulcrum, lugeri, etc. Mascardus, de *Probat. Concl.* 1077; Gobath, tract. IX, n. 312.

13. *Qualis esse potest etiam consanguineus defuncti, non item conjux.* — In quo casu etiam consanguinei sufficiens testimonium ferunt, uti post Joan. Andream bene docet Mascardus, loc. cit., n. 3, quia consanguinei plerumque magis præsumuntur scire

mortem sibi conjunctorum, quam alii. arg. l. de *Tutela. C. de in Integrum restitut.* Uxorem tamen insufficientem testem esse ad probandam mortem conjugis, merito docet Gobath, loc. cit., n. 310, quia in propria causa nemo idoneus testis esse censetur, l. *Nullus. ff. de Testib.*, et l. *Omnibus. C. eod.* Est autem hæc causa propria uxoris hoc ipso, quod ejus emolumentum, et damnum concernat in contrahendo cum alio, arg. l. I, § 11, ff. *Quando appelland. sit.*

14. *Item si cum este de visu, aut cum fama, aut cum testibus de auditu concurrunt conjecturæ.* — IV. Si cum uno teste de visu, aut cum fama, vel cum pluribus testibus de auditu concurrant alia verosimilia indicia et conjecturæ de morte conjugis, v. g. si sit senex, aut æger, item cum potuisset, et forsitan etiam promisisset, non redierit, si prælium, aut periculosam navigationem ingressus, aut in loco, ubi pestis aut fames grassabatur, moratus, diu non comparet, et interim constat, hujusmodi occasione plures gladio vel naufragio contagiosa lue, aut penuria periisse, etc. Ratio est, quia etiam per hæc sufficiens fit probatio, ut patet ex dictis lib. II, tit. XX, et in specie tenet etiam Gobath, loc. cit., n. 314.

15. *Unus tamen testis sine conjecturis non sufficeret ad probandam mortem conjugis.* — Volunt aliqui, ut Abbas, in c. *In præsentia de Sponsalib.* n. 6, et ibi Hostiensis in fine, ac alii, etiam unicum testem de visu facere sufficientem probationem de morte conjugis, arg. cit. c. *In præsentia de Sponsalib.* vi cujus sufficit habere « certum nuntium de morte conjugis. » Sanchez tamen, lib. II, disp. 46, n. 11 et 12. cum Bartolo, Manual, et aliis probabilis negat, nisi concurrant aliqua adminicula, aut conjecturæ ex recensitis, uti bene temperat Gutierrez, de *Matrim.*, cap. II, n. 2. Ratio est; quia regulariter loquendo unus testis plene non probat, per dicta lib. II, tit. XX, de *Testib.* § 8.

16. Nec in contrarium quid evincunt verba c. *In præsentia de Sponsalib.* ly certum nuntium, quia hæc verba non in masculino, sed neutro genere accipienda sunt, ita ut certam relationem, non autem certam personam significant; cum una quantumvis idonea persona relationem de jure certam non faciat per dicta tit. de *Testib.*

17. Unum tamen casum allegat Sanchez, loc. cit., n. 12, quo unus testis saltem juratus sufficientem probationem de morte con-

jugis faceret; si nempe obitus contigisset in valde distanti, aut tali loco, aut alia certior probatio aut omnino non, aut non nisi difficillime haberi posset. Videat tamen de hoc iudex.

18. *Sicut nec sola fama.* — Porro sicut unus testis etiam de visu sufficienter non probat, sic nec sola fama satis probat mortem conjugis, sine aliqua ex conjecturis, aut adminiculis n. 14, allegatis. Patet ex dictis lib. II, tit. XX, a. n. 400, ubi probatur, quod sola fama regulariter non faciat plenam probationem.

19. *Quando adest certitudo moralis, potest parochus absque præsente ordinarii assistere secundis nuptiis.* — Resp. III. Quando habetur certitudo moralis de morte conjugis, prout habetur per modos, seu probationes a n. 10, usque ad 15, allegatos, potest parochus nulla petita licentia ordinarii, et absque illius præsente matrimonio assistere, eoque novos conjuges licite copulare. Rodriguez, in *Summa*, p. 1, cap. ccxxxiii, concl. 2; Gutierrez, lib. II, pract. quæst. q. 8, num. 9, et post eos Layman, lib. V, tr. X, p. 3, cap. III; Bosco, disp. 12, sect. 1, concl. 2, a num. 37, quia in casu, quo moralis certitudo adest, ipsa jura num. 4 et seqq., allegata facultatem nubendi tribuunt, consequenter licentia ordinarii non amplius est necessaria. Accedit, quod « eum, qui jam certum est, certiorari amplius non oporteat, » c. eum, qui de *Reg. jur.* in 6.

20. *Secus est, quando de tali certitudine dubitatur.* — Si vero parochus, aut contrahere volentes dubitant, an adsit sufficiens certitudo moralis, ordinarium consulere, et ejus responsum expectare utique oportebit; cum in dubio ad eum spectet judicare; an adsit sufficiens certitudo de morte conjugis necne, prout jam supra n. 9, dictum est.

21. *In tali dubio nec ipse ordinarius dare potest licentiam copulandi. Subinde exigit juramentum et quando?* — Quod si ipse etiam ordinarius dubitat de certitudine morali, aut probabilem tantum præsumptionem adesse judicat, dare licentiam contrahendi non potest juxta dicta num. 7, quod amplius et sufficienter probat Layman, loc. cit., n. 2, a 9. *Dico.* II. Si vero eam adesse opinatur, non tamen sine timore de opposito, eo quod probationes v. g. non usque adeo perfectæ videantur, potest et solet conjugi deferre juramentum, quod nec sciat, nec credat, conjugem amplius esse in vivis (ADNOTATIO XCVII).

22. *Qui stante dubio de morte conjugis matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur haic reddere debitum, petere tamen non potest. Est que matrimonium validum, si vere mortuus est conjux.* — Quæritur III. Quid juris, si in dubio, aut cum sola probabilitate de morte conjugis fiant secundæ nuptiæ? Resp. I. Si unus conjugum stante dubio de morte conjugis, alter vero bona fide contraxit; tenetur ille, qui cum dubio, consequenter mala fide contraxit, alteri cohabitare, et reddere debitum, petere autem non potest, nisi postea dubium prudenter deponat. Abbas, in c. II, h. t., n. 4, et ubi Joan. Andreas, n. un.; Ancharanus, n. 5; Sanchez, lib. II, disp. 42, n. 2; Bosco, disp. 12, sect. 12, concl. 2, a num. 30, cum communi aliorum contra Pontium. Probatur manifeste ex cit., c. 2, h. t., ubi ad casum, quo quis cum dubio de morte conjugis facit secundas nuptias, ita respondet Papa: « Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non observavit, et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum ei, quæ sibi nupsit, debitum non denegat postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. » Concordat c. *Inquisitioni.* 44. de *Sentent. Excomm.*

23. Ex quo inferitur, tale matrimonium cum dubio consequenter cum mala fide unius initum, non esse invalidum, ut putat Pontius, sed revera validum (casu quo prior conjux revera obiit, etsi a dubitante non sciatur) hoc ipso enim, quod Papa in tali casu præcipiat redditionem debiti, supponit, matrimonium posse esse validum; alias enim redditionem debiti, quæ est actus non nisi conjugibus licitus, concedere haud posset, prout bene argumentatur Bosco, loc. cit., n. 32, et Sanchez, loc. cit., n. 4.

24. *Si deponat dubium etiam petere potest.* — Additur autem notanter in conclusione « nisi dubium prudenter deponat; » hoc enim si facit, reddere et petere potest, juxta communem, et patet clare ex cit., cap. II, h. t., ibi: « Si adhuc dubitet, » id est, si, postquam in dubio contraxit, post contractum adhuc pro tempore dubitet; consequenter si adhuc, seu amplius non dubitet, sed inveniatur, solum fuisse scrupulum, etiam petere poterit debitum, arg. c. *Inquisitioni.* 44. de *Sentent. Excomm.*

25. *Si ambo conjuges in dubio de morte conjugis contrahunt, nec petere, nec reddere possunt debitum.* — Resp. II. Si ambo conjuges stante

dubio de vita prioris conjugis, consequenter mala fide contrahunt, uterque privatus existit jure tam reddendi, quam petendi debitum. Sanchez, lib. II, disp. 42, num. 7, dicens id certissimum esse, et alii. Ratio est; quia si uterque mala fide contrahit, nulli suffragatur possessio, consequenter nullus habet jus ad debitum conjugale, arg. can. *Si virgo.* 5, cau. 34, q. 1. et l. *Bona.* 48. § 1 ff. de *Acquir. rer. domin.* Accedit, quod, quando ambo conjuges manent in dubio practico, an conjux prior adhuc vivat, consequenter an matrimonium eorum mala fide contractum valeat, necne, hoc ipso debitu petere aut reddere non valeant; cum stante dubio practico operari non liceat, ut tenent communiter theologi.

26. *Nisi dubium prudenter deponat.* — Si tamen dubium prudenter deponat, conjugem, postquam hoc secundum matrimonium inierunt, revera fuisse mortuum, consequenter matrimonium eorum esse validum, reddere et petere possunt. Perez, de *Matrim.* disp. 53, sect. 2, n. 4, arg., cap. II, h. t., ibi: « Si matrimonio jam contracto adhuc dubitaverit: » vide etiam dicta n. 24.

27. *Quid faciendum conjugibus, si post matrimonium supervenit dubium?* — Resp. III. Si post matrimonium ab utroque bona fide jam contractum, uni vel utrique superveniat dubium de vita prioris conjugis, consequenter de valore matrimonii, tenetur dubitans inquirere de veritate, et interea abstinere a petendo debito, quamvis reddere illud possit bona fide petenti: Si uterque dubitat, uterque a reddendo, et petendo, donec diligenter inquireat, abstinere debet, hoc ipso, quod inique petenti alter reddere non possit. Quod, si autem facta diligenti inquisitione solum dubium adhuc remanet, uterque petere et reddere poterit. Sanchez, disp. 41, a n. 44, citans plures alios. Prima pars, quod dubitans inquirere, et interea a petendo debito abstinere teneatur, inde patet, quia universaliter, etiamsi aliquis rem bona fide incipiat possidere, tamen si postea dubitat, an non sit alterius, tenetur inquirere, et donec inquireat, ab ejus usu abstinere; frustra enim alias inquireret dominum rei, si non teneretur eam eidem conservare, ut cum aliis bene argumentatur Sanchez, lib. II, disp. 41, n. 21. Ergo etiam, licet quis bona fide contraxerit matrimonium, tamen si dubitat, an non corpus pertineat ad alterum, ab ejus usu abstinendum erit, donec inda-

getur. Quod autem reddere bona fide petenti teneatur, patet ex dictis n. 22, et juribus ibidem allegatis.

28. Altera pars, quod, si post diligentem inquisitionem solum maneat dubium, uterque reddere et petere possit, probatur ex illa generali doctrina, quod, si bonæ fidei possessor incipiat dubitare, rem esse alienam, et post diligentem inquisitionem dubium vincere nequeat, possit rem non tantum retinere, sed ea etiam uti, prout probat Sanchez, loc. cit., n. 22 et n. 46, ergo idem erit de possessione et usu matrimonii.

29. Dicitur autem notanter num. 27. Si post indagatorem solum manet dubium: si enim motivum vere probabile supervenit, priorem conjugem adhuc vivere; e contra de morte ejusdem æquale motivum non adest, seu, quod aderat, enervatum est, taliter opinanti sola redditio, non item petitio debiti licita est: ut bene advertit Gobath, loc. cit., nu. 642, arg. c. *Inquisitioni.* 44. de *Sentent. Excomm.* ibi: « Verum cum conscientia pulsatur animum ex credulitate probabili, et discreta, quanquam non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet. »

30. *Si post matrimonium etiam optima fide contractum, habetur moraliter certa notitia de vita prioris conjugis, illico ab omni carnali commercio abstinendum, et eidem adherendum est.* — Resp. IV. Si post matrimonium etiam optima fide ab utroque conjugum contractum supervenit notitia saltem moraliter certa, habens talem notitiam nec reddere, nec petere amplius potest debitum, sed illico ab omni carnali commercio, et periculo ejusdem abstinere, prioremque ad conjugem reverti debet, etiam si probare nequeat, et propterea ad conjugaliter cohabitandum marito, excommunicatione, aut aliis gravibus pœnis compellatur. Communis et certa claris juribus c. 2, h. t., ibi: « Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relicis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur, » et c. *Inquisitioni.* 44. de *Sentent. Excomm.* ibi: « Debet potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. » Ratio est; quia commercium carnale cum alio quam conjugum intrinsece malum est, consequenter nunquam licet, arg. c. *Litteras.* 13, § *Porro de Restitut. spoliat. et Clement. fin.* § *Septimo. de Heret.*